




GEOMETRIÆ PRACTICÆ

LIBER SEPTIMVS.



De figuris Isoperimetris disputans: cui Appendicis
loco annectitur breuis de circulo per lineas
quadrandō tractatiuncula.



NOBILIS ac præstans de Isoperimetris figuris semper apud omnes habita est disputatio, in qua videlicet inquiritur, utra duarum sit altera maior, & capacior, & qua sit omnium maxima, & capaciſſima. Non pauci enim rerum Geometricarum ignari hac in re hallucinati sunt, putantes figuras Isoperimétras, quæ nimirum æquales ambitus continent, esse inter se æquales, siue æquè capaces. Immo è contrario, quod mirum est, nonnulli, qui se Geometras appellant, adduci vix possunt, ut credant, dari posse duas figuras Isoperimétras inter se omnino æquales, quod tamen fieri posse, clarissimè propos. 20. 21. 22. huius demonstrabimus. Quamvis autem de Isoperimétris figuris tractationem benè longam, & copiosam in commentariis nostris in spheram instituerimus, exemplum in hoc secuti Theonis Alexandrini, qui idem argumentum in commentariis in Almagestum Ptolomei persecutus est: tamen quia id in alieno fortassis loco factum esse suspicari quis posset; transferemus eam tractationem ex nostris commentariis in spheram in hanc nostram Geometriam practicam, tanquam in magis proprium locum, additis tribus, aut quatuor propositionibus, quæ in illa tractatione desiderantur, & tamen maximè ad hanc materiam spectare videntur.

DEFINITIONES.

I.

ISOPERIMETRÆ figuræ sunt, quæ æquales ambitus continent.

O O 2

II. RE-

Definitiones
ad tractationē
Isoperimétrarū
figurarum
pertinentes.